

Biogr. erud.
244

gr. erud.
244.

Handwritten signature or text, possibly: "H. M. ..."



DE
ERVDITORVM
IN
CIVITATEM OFFICIIS,

AMPLISSIMI
ORDINIS PHILOSOPHICI CONSENSV
DISSERVNT

PRÆSES

M. Gottfried POLYCARPVS Müller,
ELOQ. ET POES. P. P. EXTR.

ET

RESPONDENS

GOTTLOB THOMASIVS,
LIPS.

D. V. OCTOBR. AN. cId Idcc XX

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANUELIS TITII.

DE
ERVDITORYM
GOLDREICHEN
CIVITATEM OFFICII
AMPHIBOLI
ORDINIS PHILOSOPHICI CONSENSU
DSSERTAT
P. R. A. E. L.
M. GOTTLOB THOMASIVS
H. O. P. O. S. S. I. T.
ET
RESPONDENS
GOTTLOB THOMASIVS
D. N. O. C. T. O. R. M. A. G. I. S. T. R. A. S. I. C. I.
P. R. A. E. L.
—————
ALBINO
LIT. A. S. I. M. M. A. N. N. I. S. T. I. L. I.

VIRO ILLVSTRI
MAGNIFICO ET EXCELLENTISSIMO,
D O M I N O
GODOFREDO LANGIO,
SERENISSIMO AC POTENTISSI-
MO REGI POLONIARVM, AC ELECTORI
SAXONIÆ A CONSILIIS AVLICIS
AC IVSTITIÆ,
SVPREMÆ CVRIÆ PROVINCIALIS ET
SCABINATVS ASSESSORI,
CIVITATIS LIPSIENSIS CONSVLI,
TEMPLI THOMANI ANTISTITI,
ICTO EXQVISITISSIMO,
DOMINO AC PATRONO MEO
DEVOTO CVLTV SVSPICIENDO.

VIR ILLUSTRIS,

MAGNIFICE AC EXCEL-
LENTISSIME,

DOMINE AC PATRONE, SUMMO
CVLTV DEVENERANDE.



*Æpe multumque co-
gitanti, qua demum
via aditum mihi ad
patrocinium Tuum
pararem, occurrit de-
mum Tua in omnes
admirabilis humani-
tas, quæ, ut primam
quamque occasionem lucro opponerem, sua-
sit,*

fit, ac demum persuasit. Ex quo enim,
Academia primum luce Tua illustrata, au-
laque insignibus & nunquam intermoritu-
ris officiis Tibi Tuisque conciliata, urbem
nostram Consul ingressus es, nunquam Te
ullus nostrum, nisi benignum ac mirifi-
ce benevolum, vidit, ut prudentiæ tem-
plum ac publicum exemplar admirati sunt
omnes. Quam multi nativitatis, aut ar-
tificiose commendationis, benevolentia sibi
anxie circumponunt, & invidiose non raro
tuentur, summam dignitatem, & commu-
nem fere omnium concelebrationem, sola
Tu sapientiæ ac prudentiæ intimo ac per-
fectissimo connubio non tam consequutus
es, quam in complexus Tuos ruentem ex-
cepisti. Nec aula Te, nec dignitas consu-
laris, abstraxit, quo minus benignos oculos
& Academiæ, Tibi semper carissimæ, &
Musarum cultoribus obverteres. Quod si
Tibi, Vir Illustris, cliens devotissimus, &
doctri-

doctrinae academicæ studiosissimus, non
plane sordet, id quod Tua non patitur hu-
manitas; quod si gentis meæ, semper Tibi
devinctæ, non plane immemor es, id quod
a Tuo sapientissimo & benignissimo animo
abest longissime; hoc quodcunque pietatis
& fidei primum documentum benigne,
quod spero rogoque, accipies ab eo, qui sa-
lutem Tuam optat amplissimam & sempi-
ternam, utpote

**TUI ILLUSTRIS ET EXCEL-
LENTISSIMI NOMINIS**

Lipſiæ
VI. Non. Octobr.
An. c M̄o Iccc XX.

devotissimus cultor

GOTTLOB THOMASIVS.

D E
E R V D I T O R V M
I N
C I V I T A T E M O F F I C I I S.

§. I.

EX quo in civitatem concessere, quacunque de-
mum causa impulsit, homines, non incommoda
tantum cum commodis aucta fuerunt, sed ex
hac ipsa consociatione, & communi omnium
familia, novæ prodierunt obligationes, & officia
nova. Alia imperantibus, civibus alia incumbunt; at-
que inter hos quædam pertinent ad omnes, quædam vero
conditionibus vivendi, & generibus vitæ, quorundam mo-
do continentur. Atque illa quidem civium officia, quæ
sunt omnium, tradita a multis exquisite leguntur; uti lo-
cus de officiis, quæ singulis vivendi conditionibus, & vitæ
generibus, in civitate propria sunt, a plurimis est præter-
missus. Jam eruditis tantum scribere, & de horum in ci-
vitatem officiis quædam præcipere, placet; ne, si de gene-
ribus vivendi aliis primum exponeremus, nostrum omi-
sisse aut immune judicasse, videamur. Satius est secum
habitare, & qua via civi erudito eundem sit, non qua a
multis itur, exquirere; cum civis possit esse eruditus, qui
non idem sit bonus. Nasci non fieri bonos poëtas, pro-
verbio celebratur: sed fieri non nasci bonos cives, com-
munis omnium docet experientia. Quod si quædam a no-
bis prætermittenda erunt, quædam liberius, quædam minus ex-
quisite, dicta; temporis angustia, qua circumscribimur,

copia dicendorum, & confessio ingenua, nobis quoque hæc scripta esse, dignos nos excusatione reddet. Neque enim, cum intra mediocritatis limites hæc omnia constant, aut dicam merebimur, aut Præanem.

§. II.

Civitas, ut ab eo, quod primario loco est, ordiar, societas erit hominum, quæ per imperium humanum, in omnes constitutum, externæ omnium felicitatis amplitudinem & securitatem quærit. Opponitur civitati familia, five, si mavis, herilis societas, quæ per directionem humanam, in omnes constitutam, externæ omnium felicitatis sufficientiam & commoditatem obtinere laborat. Convenit cum familia civitas, quod utraque societas hominum fit, & quod utraque eundem communem finem, externam omnium, herilis aut civilis corporis membrorum, felicitatem, per commune aliquod humanum medium consecretur. Differt a familia civitas, cum illa medio utatur leni, hæc duro, imo durissimo, illa directione, hæc imperio; & cum in illa communis felicitatis commoditas, & sufficientia, in hac vero ejusdem amplitudo atque securitas, vel maxime quærenda sit. Cum vero de utriusque medio & fine proprio a multis dubitetur, a paucis solide disputatum fit, non abs re erit, rem altius paululum repetere. Libertatem humanam spe metuque, consiliis & legibus, bono & malo, præmiis & pœnis flecti & determinari, inter omnes constat: hæc duo homines coercendi media sibi invicem opponi, ne quidem negari potest: ergo alia erit directio, quæ per spem, consilia, bona atque præmia, homines ducit, ut officia felicitatis communis exequantur, alia vero vis aut imperium, quod eosdem ad finem eundem

eundem metu, legibus, malis & poenis, impellit. Illam in societate domestica & herili, hanc in civili, omnes sentimus, cum omnibus aliqua jussa aut imperata faciendi vel impulsio vel necessitas ab ineunte ætate incubuerit, & incumbat. Pariter omnes homines, & societates naturales omnes, ad externam tendere felicitatem, & has quidem vel maxime ad communem, ita perspicuum est; ut societatem civilem & herilem in aliqua tantum communis felicitatis externæ proprietate, aut gradu quodam, differre, facile colligatur. Familiam extra civitatem sufficere sibi posse, & commoditatis media circumponere, constat; sed securam ab omnibus internis externisque hostibus, imo mediis securitatis abundantem, præstare se non potest, ni velit per imperium in civitatem mutari. Erit ergo societatis civilis finis proprius hæc ipsa securitas & amplitudo, quam quidam potentiam una voce appellarunt. Nec juvat excepisse, quod in familia imperium, in civitate directio quædam misceatur, quodque familia sibi de securitate, civitas de felicitate commoda, prospiciat; cum hoc ipsum nil probet aliud, quam familiæ & civitatis naturam in exercitio utriusque misceri, quod nemo inficiatur, non autem definitiones utriusque, media & fines proprios & primarios, mente debere confundi. Quod familiæ deest, supplere civitas secundum naturam suam intendit, ut perfecta, si qua in hac omnium perversitate obtineri potest, cumulataque prodeat externa felicitas.

§. III.

Cives sunt, quotquot sub imperio humano ad communem omnium felicitatem, maxime ad amplitudinem ejus & securitatem, contendunt; non quod cives pro-

prium commodum non curent aut obtineant[!], sed quod hoc ipsum salutis publicæ fiat instrumentum. Imperium humanum, cui subsunt cives, sive majestas civilis, est jus summum, aut supra omnes cives eminens, civium actiones externas, quibus communi saluti aut obesse aut prodesse possunt, ad hanc ipsam per leges deducendi. Variis constat juribus particularibus majestaticis, quorum familiam duximus in *de vitæ generum nexu dissertatione* §. XIX. XX. Ratio, secundum quam hæc cuncta exercentur, aut in exercitio temperantur, imperii forma dici consuevit. Communis omnium felicitas iis bonis nititur, quæ homini interna & externa sunt, *v. c. l. §. XVII.* quorum amplitudo & securitas in civitate imprimis requiritur. Cujus enim cives omnes, in suis singuli generibus vitæ, animi, corporis & status, bonis florent & abundant, ea demum potens & perfecta erit civitas. Quare cives, cum ineruditi tum eruditi, & imperio & civibus ad communem omnium salutem ac potentiam obligantur.

§. IV.

Atque hæc ipsa obligatio producit officia civium, sive civilia. Officium in genere est actio hominum, ad quam quis jure alterius in se obligatur: intelligitur autem potissimum actio interna, sive voluntatis moderamen, quod modo commissio modo omissio externa sequitur. Differt officium eo modo, quo jus: jus enim divinum producit officium in Deum, jus humanum vero, & speciatim jus civitatis vel civile, officium in civitatem sive civile peperit. Officium civile est actio, ad quam civis jure civitatis vel majestatis in se erga imperium & cives obligatur.

obligatur. Subdivisiones officiorum a personis, a quibus proficiuntur, deduci consueverunt; uti eruditorum officia civilia horum ipsorum in civitate diversitas rite distinguit. Quæ vero a solis objectis, quibus nullum in nos jus competit, a quibusdam derivari solent officiorum divisiones, actiones quascunque humanas cum officiis hominum confundunt.

§. V.

Supereſt eruditorum notio, eruditorum enim in civitatem officia quærimus, ab his ipsis, a quibus ad liquidum deducenda erat, non parum obscurata. Equidem eruditum, quem sapientem veteres dixere, vel philosophice vel civiliter, aut ex consueto in civitate usu, accipimus; quæ duplex notio, postquam eruditio in civitatem recepta est, in civitate observari meretur. Si vis vocis philosophica obtinet, eruditus is erit, qui res per suas causas ad veram hominum felicitatem cognoscit: quanquam nec hæc notio omnem eruditionis vim & potestatem exhauriat. vid. MULLERI *philosophia, facultatibus superioribus accommodata P. I. p. 3--7.* Nemo hoc sensu eruditus esset, nisi qui idem & philosophus; cum philosophia sit cognitio rerum, cum existentium tum possibilem, per causas. Etenim qui philosophiam per possibilem, quatenus talium, scientiam definiunt, explicatione terminum propria, qua per possiblem omnia, quæ sunt & non sunt, per τὸ quatenus talia causas possibilitatis, intelligunt, facile convincuntur, quod reapse non dissentiant. v. CHRIST. WOLFFII *Gedanken von den Kräften des menschlichen Verstandes, Vorbericht §. 1. 2. 3. 4--9.* Idem ergo est, ac si dicerent, philosophiam esse
scien-

317181

scientiam rerum quarumcunque per causas, nisi quod termini, quibus utuntur, suis de mathesi notionibus magis sint attemperati. Si vero civilis illa eruditi notio prævalet, eruditum eum appellabimus, qui aliquam quatuor facultatum, in academias receptarum, partem ita addidicit, ut ex in vitæ genus civitati conformiter ducat. Sunt quidem nonnulli, qui eruditionem academicam sibi tantum adjungunt, delectationis magis quam vitæ gratia: sed illi vel maxime in civitatibus nostris eruditorum nomine veniunt. Uti ergo ab erudito, philosophice descripto, abesse ipsa philosophia nequit: ita civilem hunc eruditum eadem sæpe carere posse, sæpius vitio suo carere, pervulgatum in omnes est.

§. VI.

Verum hæc civilis eruditorum acceptio, quæ in hac dissertatione primaria est, plura in recessu habet, quorum potiora, cum ipsis officiorum regulis fundamenta præbeant, altius rimabimur. Eruditus facultates discit: facultas autem erudita est pars cognitionis humanæ, in academias receptæ, peculiare objectum in diversis disciplinis autoritate publica exhibens, ut ejus cognitio in usum reipublicæ transferri queat. Cum hac notione facultatis conjungi ea possunt, quæ in philosophia nostra intellectuali C. IV. Sect. V. §. 10. sqq. p. 508. & in der Academischen Klugheit Vorrede §. 10. 11. 12. explicatius tradidimus. Usus autem reipublicæ se in imperium & in ipsos cives per §. III. exserit; ita ut his & illi quælibet inservire facultas debeat. Numerantur harum facultatum quatuor, ex consuetudine magis, quam ex necessitate, cum quintam, politicam scilicet, facultatem jungi reliquis posse, nonnulli animadvertent.

terint. v. *Academische Klugheit P. II. Einleitung §. 4. 5. coll. programme nostro: de facultate politica, in Academiis introducenda, anni cIdo Idcc xliix.* Accepere omnes certos a magistratu limites, aut consuetudine obtinuerunt; titulos proprios civilemque dignitatem sibi quælibet circumdedit; certa in rebus, ad ambitum suum pertinentibus, autoritate censoria omnes utuntur. Ad diversa in civitate vitæ genera aut formanda, aut melius & exquisitius colenda, omnes in Academiis facultates referuntur: theologia format ministros ecclesiæ, jurisprudentia eos, qui de jure respondent, & qui causas secundum jura tuentur, medicina publicos, quos dicunt, phycos, medicosque clinicos, philosophia, uti his omnibus formandis præsto est, ita phycica atque mathesi omnibus vitæ generibus, naturalibus maxime, emolumentum & augmentum præbere poterit. v. *Dissert. de vitæ generum nexu. §. XIIIX. & XXV.* Quantum eruditio in civitate ab ea discrepet, quæ libera, & in statu, si ita loqui liceat, naturali est, ex dictis facile intelligitur, sed tamen omni ex parte nondum patet.

§. VII.

Scilicet si has ipsas facultates inter se & cum ipsa civitate paucis contendere placet, adhuc liquidior fiet civilis eruditionis conditio. Primum ad se invicem relatæ partim se progenerant, ita ut philosophia omnium mater sit aut nutrix, partim inter se de honore concedunt, cum una supra alteram ob civiles quasdam rationes eminere dignitate consueverit. Secundo cum civitate collatæ, prout hujus ipsius collationis rationes & fundamenta differunt, diversas dant relationes, diversosque cum civitate

B

nexus.

nexus. Si omnes cum tota civitate componimus, quædam ad imperium & vitæ genera civilia, ut jurisprudentia cum parte philosophiæ, quædam ad cives & vitæ genera naturalia, ut physica & mathesis, quædam ad necessitates generis humani in universon, ut theologia, medicina, & magna philosophiæ pars, magis aut plurimum faciunt. Ex hac ipsa relatione vis & potestas eruditionis necessariæ, utilis & curiosæ, capi melius & exponi poterit; nam ipse illustris PVFENDORFIVS, cum relationis fundamentum omiserit, scientias quidem in has tres classes descripsit, definitiones vero & limites figere non potuit. vid. PVFENDORF. *I. N. & G. ex edit. Barbeyracii L. II. C. IV. §. XIII.* Etenim si quatuor facultatum eruditionem aut ad internam summamque, aut ad externam & subordinatam, omnium hominum felicitatem referre placet, diversæ prodibunt necessitatis, utilitatis & curiositatis, notiones. Quod si vero hanc totam cum civitate componis, & secundum usum in republica metiris, alia eruditio utilis, alia inutilis vel vana erit: illa vel absolute requiritur, sive necessaria est, quæ vitæ genera civilia & naturalia in civitate format & perficit, vel interdum, & consuetudo loquendi more utilis audit, quæ ad splendorem vitæ generum tantum facit; hæc aut plane nullum cum vitæ generibus nexum habet, aut iis etiam adversatur, sive vel curiosa est, vel noxia. Integer harum omnium ambitus amplior est, quam ut hic locum possit inveniri; sufficiet enim observasse, quod corruptis in civitate vitæ generibus eruditio noxia sæpe fuerit necessaria habita, & necessaria noxia, quemadmodum theologiæ & philosophiæ scholasticæ, nec non historiæ studium, inter pontificios quondam satis probavit.

§. VIII.

§. VIII.

Si eas facultates cum civitate contendis, quæ maxime eminent, ut theologiam & jurisprudentiam, has non libera tantum ratione, sed certa simul in civitate auctoritate, niti comperies. Theologia suapte natura quidem scripturæ sacræ tota insistit: in civitate vero circumposita symbola sunt, quæ dogmatum & loquendi docendique formam circumscribunt. Jurisprudentiæ totum corpus imperantis vocem exhibet, in quam ratio nullum aliud, quam explicandi & ordinandi, jus habere potest, nisi ab ipso imperante fuerit civibus concessum. Medicina vero & philosophia, licet interdum libertatem amiserint in civitatibus, ob naturam tamen suam, quæ sola ratione & experientia, tanquam principiis, absolvitur, jugum semper excusserunt. Ex omnibus his, & similibus de civili eruditione observationibus, hoc tantum conficere hac vice volumus, quod eadem ex natura eruditionis in genere dijudicari penitus nequeat, quod civitatibus mutatis mutata sit hæc ipsa civilis eruditio, & quod denique de hac secundum nostram civitatem a nobis scribendum atque disputandum sit.

§. IX.

Etenim nobis de eruditis, qui genus vitæ suum a civili eruditione ducunt, tantum sermo est, in facultates quatuor auctoritate imperii descriptis: de omnibus ergo in tota civitate eruditis, & de qualibet facultate speciatim, quædam tantum officia colligam, cum mihi non tam numeranda quam expendenda videantur. Omnes, quotquot his quatuor nomen dederunt, aut in docendis, aut in applicandis versantur: illos professores aut doctores, ex

quibus academicum corpus imprimis constat, hos practicos fere, vi vocis paululum latiore, dici posse, nemini facile dubium erit. Qui ministerio sacro funguntur, theologiæ, qui juri dicundo, exercendo & applicando, sive in collegiis, sive seorsim incumbunt, jurisprudentiæ, qui medicam artem clinicis, anatomicis & chirurgicis, operibus exercent, medicinæ practicos habemus: philosophiæ praxis non in formandis facultatibus superioribus modo, sed in artibus quoque, eloquentia, poësi, inventisque varii generis utilibus, conspicua cernitur. Quamobrem regulas theoriæ & praxeos ubique conjungam, cum utraque, ut in circulo omnis extremitas paribus in medium radiis coit, ita iisdem viribus in usum civitatis conspiret.

§. X.

Utendum tamen erit in his officiis recensendis hac imprimis cautione, ne religio eruditioni civili aut cuicunque immisceatur, quandoquidem civitati, nisi quoad externa & adventitia, non subest, & dogmata fidei christianæ pars eruditionis humanæ, christianorumque officia pietatis, pars juris naturæ aut civitatis, esse nequeunt. Theologum & Ecclesiæ ministrum, si qua de utriusque officiis obvenient, ut civem, non ut doctrinæ cœlestis præconem gregisque divini pastorem, consideramus, civis theologi officia descripturi. Neque ad vitæ genera, quæ ex eruditione academica oriuntur, aut hac utuntur, specialia descendere animus est: cum cujuscunque facultatis officia generalia indicasse nobis quidem hac scriptione sufficiat. Neque de Academiis ipsis, quatenus separatum a reliquis civitatis collegium, aut civile corpus, suis gaudens jurebus, constituunt, disciplinam colunt, & per facultatum suarum

rum

rum vim & potestatem honores distribuunt, dicendum erit; ne collegiorum specialia generalibus eruditorum civilium officiis obscuremus. Varia, quæ ad quodvis academicum collegium referuntur, officia congeffit magis quam digessit notissimus Gallus *Domatus*, in *jure publico* (*le droit public*) L. I. Tit. XVII. p. 116. sqq.

§. XI.

Hæc generalia eruditorum civilium, in classes quatuor distributorum, in doctrina & praxi officia media sunt, quibus juri civitatis in se satisfaciunt, cum ex hoc omnis descendat vis obligandi. Media ex fine concludimus, quæ se invicem semper respiciunt; ergo per finem eruditionis civilis, & facultatis cujusvis proprium sibi scopum, regulæ officiorum intelligi facile poterunt. Placet tamen e singulis definitionum partibus quædam inferre officia, ut ea quoque, quæ indirecta dici possunt, proximisque & directis (nam vulgo omnia juris naturæ officia in indirecta ac directa separant) præludunt, aut media præbent, junctim percipiantur.

§. XII.

Eruditio civilis est eruditio humana, autoritate imperii publica in quatuor facultates academicas descripta, & in genera vitæ mutata, ut civitatis, sive imperii & civium, felicitas ampla & secunda eadem promoveatur. Non perdit civilis eruditio eruditionis humanæ naturam: ergo non desinat civis eruditus hanc ipsam sedulo rimari, cum ipsa per se eruditio imperari non possit, mentis intelligentis, non cujusvis impetus aut impressionis cujuscunque, opus. In quatuor facultates descripta vel divisa est, cum una sit eruditio; ergo nexum omnium faculta-

tum sciat in civitate sapiens, cum partes sine cognitione totius cognosci probe nequeant. Vix virtutum, vix hominum, tanta datur, tamque arcta, quam scientiarum eruditarum, consociatio; ita ut nulla facultas integra sit sine altera, aut plene in reipublicæ usum cognoscatur, utpote quam mutuam familiaremque communionem *prudentia academica*, in publicum edita, comprobavit. Philippo Melanchthoni hæc facultatum connexio curæ fuit cordique, cum Tubingæ eruditionis & famæ suæ fundamenta poneret. *Itaque & Theologos & Jctos & Medicos audire, & libros omnium professionum illarum inspicere, & undique quandam scientiæ quasi possessionem occupare, & non tam laudem venari, quam usum sibi fructumque cognitionis acquirere.* Ad theologiæ tamen studium maxime propensa esse cupiditas illius, quod religiose pietatis amore flagraret &c. v. JOACH. CAMERARII *narratio vitæ Phil. Melanchthonis p. 14.* Neque tamen una omnibus ita est præferenda, ut sine ea nihili reliquæ reputentur, uti fere de jure suo civili ac naturali, ejusque in philosophia & theologia usu plane imperioso & dictatorio exquisitissimus alias JOH. BARBEYRACIUS præcepit, *in sua de dignitate & utilitate juris ac historiarum, & utriusque discipline amica conjunctione, oratione inaugurali p. 13. seqq.* Neque eam, quam præcepimus, per quatuor facultatis regna aut sedes factam, quasi peregrinationem eo extendamus, ut cum Julio Cæsare Vanino Jcti, Theologi, Medici, Philosophi, Astronomi, & nescio quid, audire velimus, v. *Apologiam pro Julio Cæsare Vanino p. 3. seq.* cum vel ideo civitas eruditionis late patens regnum diviserit, ne omnium homines facultatum esse velimus.

§. XIII.

§. XIII.

Describitur scilicet totus sapientiæ civilis ambitus in has classes publica imperii autoritate, licet hæc ipsa secretio & coordinatio sensim & per intervalla facta fuerit, quemadmodum Parisiensis Academia, multarum almæ matris, exemplum docet. *v. Pasquier Recherches de France imprimis L. III. cap. XXIX. p. 26. sqq.* Quare harum limites a docentibus & applicantibus temere turbari haud debent: & nulla pugna earum, sed coordinatio & conspiratio amica, concipienda ac conservanda est, cum quæcunque sit unius facultatis præ altera dignitas, civilis tantum non naturalis merito censeatur. Secretio quidem vel ideo necessaria in civitate erat, ut ampliores redditæ eruditionis partes exquisitius colerentur, ac plures ex pluribus ali possent. Ex quo mihi quidem factum videtur, ut partes quædam, non tam amplæ nec tam ad vitam proficua, ancipites fere relictæ fuerint, uti doctrina adversus atheos modo theologis, modo philosophis, jus naturæ atque gentium modo philosophis, modo Jctis cessit, aut utrisque relictæ est. Illas autem facultates, quæ cum juribus Majestaticis primariis nexum proximum habent, ut cum jure theologiam, primo etiam loco omnes fere gentes in republica habuerunt *vid. Academische Klugheit P. I. Einleitung. §. 8--13.* Quemadmodum vero ultra facultatis suæ dignitatem semet efferre, aut eam, quam aliis civitas concessit, invidere, cuilibet eruditorum cavendum est: ita non quilibet alterius facultatis usus, aut explicatio quæcunque, crimen *πολυπραγμοσύνης* eruditæ haberi debet. Philosophus, omnium facultatum historiam, fata, libros, &c. tradens, aut præcepta sua omnium exem-

plis

plis illustrans, limites philosophiæ non egreditur. Jungere juri, naturali civilique, historiam, quod felix connubium superius citatus BARBEYRACIUS, juris & historiarum in academia Laufannensi Professor, felicissime iniit, non est Philosophiæ spoliū. Celebrantur ubique SCHILTERI, STRAU-
CHII, LEIBNIZII & THOMASII, pluresque alii, qui his rebus, ad usum destinatis, magno cum emolumento usi sunt.

§. XIV.

Mutavit has facultates imperium in genera vitæ, quibus cives eruditi, dum profunt aliis, sibi prodesse: ergo ut omnes facultates ad genus aliquod vitæ transferantur, imperantes voluere. Præparent igitur semetipsos eruditi ad genus vitæ; id ipsum suscipiant, si fieri potest; ea imprimis ac præ aliis addiscant, quæ ad vitæ genus eruditum faciunt. Nam qui totos se in cognitione atque scientia collocant, & ne quidem docendo aut scribendo aliis profunt, brutis in eo perfimiles evasere, quod sibi tantum sua quærant. *v. disput. de vitæ generum nexu. §. XIII.* Splendidam senectutem vivunt, qui, exacta in republica ætate, tanquam in portum se in solitudinem recepere. Docentes quoque ut ea distinguant, quæ vitæ generibus eruditis inserviunt, & usui in nostra civitate apponi possunt, ac vel maxime tradant, posthabitis a vita remotioribus, tenentur. Refero huc omnes, quibus ea, quæ hodie in foro occurrunt, a veterum subtilitatibus secernere familiare est, quibusve ea placet philosophia, qua facultates nostra ætate intelligi, & in civitatem transferri, possunt. Ex hac eruditionis in vitæ genera transformatione id quod veteres de sapientia gratuito alios docenda disputarunt, solvere commode licet; nam jure Roma-

no

Romano etiam jurisconsultorum philosophorumque operam mercenariam haud fuisse ad Pufendorffium BARBEYRACIVS probavit. *I. N. & G. L. V. C. I. §. V. n. 6.* & Ciceronis adhuc opera omnis gratuita fuit, cum ex patrociniis causarum neque dona neque mercedem ab ullo receperit. vid. WOLFFG. PERISTERI *Narratio de vita & rebus gestis Ciceronis* p. 22. Mutata jam est rerum facies, ab imperio vitæ generibus ex jurisprudentia & philosophia constitutis, quæ cum rite obtineantur, proprium simul habent, ut suos nutriant cultores. An vero omnem publicam doctrinam, & totum, qua patet, juris exercitium, cum honorum omnium in cives collatione, gratuito civibus administrari, constitutis hanc in rem a civitate publicis salariis, consultum aut necessarium sit, viris politicis disputandum relinquimus.

§. XV.

Omnem hanc eruditionem in facultates secrevit magistratus, inque vitæ genera mutavit, ut civitatis totius felicitas promoveatur, quæ in omnium mentis, corporis & status, bonorum amplitudine & securitate consistit. Ex securitate, quæ adversus omnes internas ac externas lites, injurias ac hostes, civitatem munit, sequitur, quod doctrinis aut controversiis suis irritare principes haud debeant, & quietem publicam interturbare; ut iis sæpe obvenit, qui bono etiam animo prætensiones principum suorum tam late extendunt, ut alii provocati in turbas & demum in bella prorumpant. De principum controversiis tam diu silentium honestum erit, quam diu silent ipsi, aut non produnt, quod loquendum sit. Sequitur porro, quod a litibus eruditis quilibet se debeat ab-

C

stinere,

stinere, nisi civitatis urgeat necessitas, ne fluctus in simpulo excitati internam turbent aut evertant securitatem. Dissentire in omnibus, quæ ad civitatis jura non spectant, in civitate licet, sed turbare dissensu quietem publicam nunquam licebit. Nec sibi consulunt inquiete litigantes: *nam & pertinacia necesse est anxia & misera sit, cui fortuna sepe aliquid extorquet: & levitas multo gravior, nusquam se continens.* Seneca de Tranquillitate animi, C. XIV. Ergo nemo imperet doctrinas, nemo sectam condere aut conditam amplificare præsumat, quem genium sectarium alibi in *programme de spiritus sectario philosophantium* (v. *ideam eloquentiæ nov-antiquæ p. 242. seqq.*) descripsimus. Sequitur ulterius, noxias civitati sententias excutiendas, præcavendas, & si latius serpunt, imperio civitatis committendas esse. Noli tamen in his dijudicandis opinari, sed scire, noli genio animi, professionis, commodi, amicorum & autoritatis, indulgere, sed liquidæ rationi. Melius est vulnus non tangere, si sanare non potes: multi cum curam animo facilem concepere, viribus curandi destituti fuerunt: nec medicina profuit, quæ mali radices non consumsit: plurima mala, cum nemo irritavit, ætate, quæ omnia vertit, abiire, antequam sensit respublica, quod adfuerint. Multa non inconcinna de hac medicina spirituali congeffit CROVSAZIVS in *Logica* (*la Logique ou système de reflexions*) T. II. Part. I. Sect. II. C. VI. §. XXXIII. p. 789--797.

§. XVI.

Cum hac cura securitatis in regno eruditorum, & tota republica, jus omne ac officium publicæ librorum censure connectitur, tanquam medium, quo eruditi, autorita-

te

te publica muniti, sententias, civitatem concutientes, præcavere, easque in herba, quod ajunt, suffocare connituntur. Totum hoc jus non eruditorum sed imperantis est, tanquam jus majestaticum secundarium, quod civitas in eos transfert, quos reipublicæ peritos æstimat. Competit omnium consensu principi jus in publicam doctrinam, atque hoc ipso in publicam scriptionem: quamobrem norma hujus erit ipse finis civitatis, sive omnes doctrinæ, quæ juribus majestaticis quovis modo adversantur, summo jure prohibentur. Inter pontificios clerus sibi hæc jura vel maxime adjunxit, *conf. l. 3. §. 3. C. de sum. Trinit.* sed in protestantium civitatibus nemo de iis, summo principi asserendis, dubitat. Excessus pontificiorum ex integris libris, ut JACOBI GRETSERI S. I. libro de jure, modo *et more, prohibendi, expurgandi et abolendi libros noxios et hereticos*, ut & THEOPHILI RAYNAVDI S. I. *erotematibus de malis ac bonis libris, deque justa aut injusta eorundem confixione*, abunde perspicitur. Eruditorum est, in censura librorum neque deficere socordia aut indulgentia, neque excedere rigore, & partium studio. Privatorum dissensiones, quæcunque sint, imo ipsum verum & falsum, quatenus rationibus in utramque partem continetur, censura publicæ objectum non est, sed bonum & malum, innocuum aut noxium, in civitate: nam censura pro fine habet felicitatem civitatis publicam, ac infelicitatis præcautionem. Ergo quicquid in civitate legibus prohibetur, censura erit prohibendum, ut atheismus, blasphemia, injuriæ in alios conjectæ: ergo etiam veritates, si reipublicæ nocent, humanæ (de divinis hic sermo nullus est, nec nocere has, nisi per turbas malorum supervenientes, dici potest)

potest) jure prohibentur, ut variæ divinationum species, licet rationabiles, varii modi dutescendi & nocendi occulte aliis, licet veri: ergo censura publica non noceat novis, si quæ sunt, veritatibus, aut emendationibus antiquorum dogmatum, cum id, quod juribus civitatis, sive in religionem sive in statum civilem directis, nocet, prohibitioni tantum subjiciatur. Veritas nunquam tota, nunquam omni ex parte integra mortalibus concessa fuit, cum intellectus corruptus eam haud capiat: sapientiæ & stultitiæ, veritatum & errorum, perpetuum bellum datur, ut boni acuentur: dissensiones, si intra limites honestatis coercentur, eruditis semper, & eruditioni amplificandæ sæpissime, profuerunt. Ex omnibus hæctenus disputatis facile colligitur, bonum civem cedere legitimis in civitate censuris.

§. XVII.

Demum ex hac ipsa, quam hæctenus excussimus, securitate reipublicæ sequitur, quod eruditis toties, quoties veritates, reipublicæ utiles, aut plane necessarias, adversus noxios errores deprehendunt, scribendi aut docendi officium incumbat. Plurima scribuntur, quod possint scribi, non quod debeant; neque enim civitatis emendationem, sed lubidinem consulere plurimi scribentium solent. Ad hanc utilem & fere necessariam scriptionem referri illud *Ciceronis offic. L. I. C. XLV.* poterit: *Ob eam causam, inquit, (scilicet ut eruditi ad hominum utilitatem suam intelligentiam prudentiamque potissimum conferant) eloqui copiose, modo prudenter, melius est, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare: quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum communi-*
rate

tate juncti sumus. His ergo ex eruditis, qui tantas veritates civitati explicandas possident, scribendi studium, & eloquii promptitudo vel maxime commendari debebit: his quoque, cum civitatis causam agant, libertas quædam & durior scribendi ratio, concedenda erit. *Fieri enim omnino nequit, quin monendo & docendo, dum errores notantur, minus etiam clementer dicatur aliquid, ut qui sordida loca expurgant, solum inquinatum non possunt non attingere & sculperè verrendo, ut Camerarius differit in vita Melanchth. p. 32.*

§. XVIII.

Quod si tantæ veritates inspirandæ, tanti errores evellendi non sunt, sponte sequitur, omnem acerbiam scriptoribus eruditis vel maxime cavendam esse, omnem censuram temperandam. Eorum, qui calamo in alios, eorumque monumenta litteraria, publice debacchantur, aut doctrinas, quas sæpissime non intellexerunt, aut ne intelligi a se possint præconceptarum opinionum, tenebris effecere, in criminum fere summorum suspicionem deducunt, calumniam omnium edunt atrocissimam, cum a se dissentientes non modo per universum fere eruditum orbem, sed in sempiternum quoque, cum nequitia etiam posteritati tradantur, injuriis afficiant. Quam ob rem eruditus civis cum ob incertitudinem judiciorum humanorum, & animi humani, suis semper commodis inclinati, deceptionem, tum ob injuriæ, si qua subesset, gravitatem, & in rempublicam, quæ decipitur, & interna pace ac quiete sæpe gravissime læditur, fidem ac religionem, ab his scribendi & censendi iniquitatibus quam longissime recedet. Nemo ad publicos de scriptis & scriptoribus cen-

suram in civitate obligatur, nisi quibus imperans hoc officii dedit: ambitionis ergo, & sæpe invidia ac commodi privati, fructus sunt plurimorum iniquiores censura, nullius in veritatem amoris, cum veritatem aut falsitatem liquido demonstrasse sine criminatione aut maledicentia sufficiat. Quam ergo legem ephemeridum eruditorum scriptores, qui latentes, ne fama lædi propria queat, nomina aliorum aperte sæpe aggrediuntur, & iniquius excipiunt, dicere sibi debeant, satis apparet, uti hos modestiæ atque honestatis limites Acta eruditorum Lipsiensia sancte semper custodiverunt.

§. XIX.

Neque ab hac securitate felicitatis civilis alienum est aliud eruditorum, maxime docentium, officium, quo non omnes promiscue doctrinas omnibus tradere debent. Nimirum in qualibet facultate non tantum varia occurrunt veritates, quæ quosvis, popularibus adhuc opinionibus imbutos, aut offendunt, aut sublimitate sua deterrent, de quibus jam non est latius edisserendum: sed alia quoque, quas præsens reipublicæ conditio, genius civium, etiam eruditorum, plurimisve altissime insita præjudicia ferre nondum norunt. Ne igitur aut civitas conturbetur, aut discenti noxa contrahatur, *has veritates, hominum aut ætatis vitio noxias, paucis, quorum fides atque prudentia certissimis comprobata experimentis est, tantum tradere, & quasi insusurrare, officii est.* Equidem unum esse Deum naturalem, ut nonnulli loquuti sunt, populares multos, gentiliùm philosophorum non paucos luminis naturæ relictæ efficacia agnovisse, & suorum optumis tradidisse, multa scholæ Jonicæ & Socraticæ fata evincunt. Quod
si qua

si qua datur alchymica metallorum inferiorum per lapidem, quem philosophicum dicunt, in aurum mutatio, ut vel sola fide historica comprobatur, hanc ipsam a rerum peritis jure meritoque silentii aut obscuritatis peplo etiamnum involvi debere, solisque servari intimis discipulis, nullus dubitarem. v. BECHERI *Psychosophia*, s. *Seelen-Weisheit*, p. 133. sqq. Nec philosophorum veterum mysteria, quæ a secta alienis aperire non licebat, ac illam in *ἐξωτερικὴς* & *ἐσωτερικὴς* discentium secretionem, alium, quam remotiorum a vulgo veritatum aut opinionum custodiam, scopum habuisse, facile mihi persuadeo, v. SALMASIUS in *Epicetum* & *Simplicium* p. 225. sqq.

§. XX.

Præter hanc, ex qua hæctenus consequentias duximus, securitatem, amplificatio etiam felicitatis civium publicæ & communis ipsa eruditione civili a summo imperio intenditur, ut bona civitatis ad ampliorem semper excellentiam & copiam deducantur. Ergo per commercia litteraria, per libros exquisitos, longe lateque diffusos, per famam, apud exteros sparsam, per optumorum virorum & juvenum allecationem, civitatem suam ejusque dignitatem, bona, reditus, augere, si quid possunt, eruditi tenentur. Multum huc latinæ, tanquam communis plurimorum eruditorum, linguæ cultura ususque conducit, qua omnem fere per Europam rempublicam litterariam, quasi communi vinculo colligatam atque connexam, servari neminem latet. Peregrinationes eruditorum eruditæ, ab iis, qui matura ætate & cognitione sunt, susceptæ, si, quod patriæ deest, eruditionis & artium domum referant, huc conferent plurimum. Fuisse quondam Friderico Wilhel-

mo,

mo, Electori Brandenburgico, prudentia & rebus gestis magno, hunc eundem animum, cum universitatem scientiarum & gentium Brandenburgicam animo conciperet, a vero non abest; sed amplam nimis ejusdem ideam, quam suorum nonnulli formaverant, non coercuit tantum & constrinxit, sed plane abjecit, principum prudentissimus. Foundationem, quam dixere, ætate illa publici juris factam, cum oblivioni fere tradita & a nonnullis frustra quæsitæ sit, huic dissertationi inserere non plane alienum aut incommodum duximus.

FUNDATIO
NOVÆ UNIVERSITATIS
BRANDENBURGICÆ,

GENTIUM, SCIENTIARUM ET ARTIUM.

*S*it Orbi Christiano notum, Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM, Marchionem Brandenburgicum, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarium & Principem Electorem, Prussie, Magdeburgi, Julie, Clivie, Montium, Stetini, Pomeranie, Cassubiorum, Vandalorumque, nec non in Silesia, Crosne & Carnovie Ducem, Burggravium Norinbergensem, Principem Halberstadii, Minde & Camini, Comitem Marce & Ravensbergi, Dominum in Ravensstein, Lawenburg & Büttaw, &c. Statuisse erigere Universitatem Gentium, Scientiarum & Artium. Si qui sunt igitur Elegantiarum Musarum Cultores, si qui sunt Indagatores eximiarum Scientiarum, Nobiliorum Artium periti,

riti, si qui sunt Impediti Divinitatis cultu & usu sacrorum, si qui sunt asperæ Dominationis pertæsi, libertatis amantes, si qui sunt per Ostracismum patriâ pulsi, vel ob aliam quamcunque, modò non inhonestam, causam, sedibus extorres, si qui sunt, qui in Societate Literatorum & in eruditâ Conversatione mundi ponunt delicias, sciant prædicti & omnes Viri probi & honesti, cujus etiam sint Nationis, honestæ professionis & fidei, sciant sese in hac Universitate reperturos Parnassum, Mæcenatem, Scientiarum & Artium honorem, conscientiarum & omnium rerum decoram libertatem, Solamen Afflicti, Exulantibus refugium & asylum, egregiarum animarum communionem, sodalitiū bonarum mentium, cultioris & supra vulgus sapientis generis humani delicias. Ut autem luculentius, ut distinctius constet de Suae Serenitatis Electoralis animi erga viros Eximios propensione.

I. Attribuit, dicat, consecrat Sua Serenitas Electoralis huic Universitati Locum sustentationi vitæ necessariorum affluentem, insignem amœnitate, commerciis aptum, & erigit illum in Musarum sedem, Templum scientiarum, artium officinam, receptaculum Virtutum & in Regiam optimæ & Celissimæ Mundi Dominatricis Sophiæ.

II. Promittit commodato Arcem in vicinia quandam Advenarum habitationi, donec consici & extrui possint Ædificia, usui publico necessaria, sumptu Suae Serenitatis Electoralis, privatorum mansiones, uniuscujusque proprio.

III. Promittit Sua Serenitas Electoralis, se prospecturam, ut ad structuram necessaria justo pretio prostent venalia.

D

IV. Pro-

IV. Promittit suo sumptu Ædilem exstruendis & Custodem servandis ædificiis publicis.

V. Promittit ligna rei Culinariæ & Calefactioni necessaria pro privatis justo, pro ædificiis & Ministris publicis sine pretio.

VI. Cum autem in Nobiliorem Scientiarum & artium culturâ anima consistat hujus Congregationis, alet suo sumptu Sua Serenitas Electoralis unum & alterum varioris scientiæ & politioris literaturæ Virum, habitationem & condignum largiendo Salarium, qui quotidie ex Cathedrâ doceant non erudiendæ Juventuti apta, sed doctis auribus & optimè cultis congrua animabus.

VII. Promittit Sua Serenitas Electoralis huic Universitati Jura, Privilegia, favores ad placitum & convenientem ipsorum advenarum requisitionem in specie.

VIII. Omnibus in fide Christiana dissidentibus libertatem conscientiarum & Religionis Exercitium, nominatim Reformatis secundum Calvini Doctrinam, Arminii Assensibus, Lutheri dogmata sequentibus, profitentibus Religionem Pontificiam Romanam, Græcis, & quicumque Deum credunt Trinum & Unum, & in merito & sanguine Christi spem ponunt animæ & fundamentum Salutis.

IX. Si qui etiam Egregii Hebræi, Arabes, aliive ex infidelibus in hæc loca transire & sedem ponere voluerint, non erit illis accessus omninò prohibitus & præclusus, dummodò singuli specialem exposcant & impetrent Consensum promittantque velle se suos sibi servare errores, & eos non disseminare & propagare & honestè & civiliter absque dato scandalo vitam agere.

X. Erunt quicumque in hac Universitate pedem figere
Domus-

Domusque ædificare volent, ad decem usque annos liberi ab omnibus impositionibus & Tributis: Elapsis verò decem hisce annis, Viri Nobiles, Litterati, & Artifices insigniores, omnesque ex redditibus propriis victitantes, cum ipsorum familiis, domibus & hortis, Libertate eadem perpetuo fruuntur, reliqui verò, qui mercaturam & opificia ordinaria exercent, moderatiora vicinarum urbium onera ferent.

XI. Professores verò & Nobiliorum Artium Magistri, quâ tales, perpetuâ gaudebunt immunitate. Si verò fundos sibi comparaverint, vel mercimonia exercuerint, ad onera tenebuntur fundis inherentia & ad communia Telonia.

XII. Ut autem major sit hujus loci securitas & ne ullo modo implicentur motibus, si qui aliquando exstiterint in Viciniâ, impetrabit Sua Serenitas Electoralis ab omnibus Finitimis Principibus pro hoc loco Jus Neutralitatis, quod vocant, perpetuum, ita, ut quicquid etiam circum circa agatur & eveniat, Universitas hæc nihil exinde sentiat incommodi, & ut sub umbrâ ipsius Apollinis Lauri tutæ sint in hoc loco Musæ, à fulminis ictu & quacunque belli tempestate & injuria.

XIII. Omnibus sub Serenitate Suâ Electorali stipendia merentibus omni tempore huic loco erit interdictum, ita ut nec transitu, nec hospitatione, vel ab alio quovis modo tantillum illi inferant damni vel creent molestiæ.

XIV. Cum autem congruum non sit & parum conveniens, cœlestes Musas Semideis facere obnoxias & rusticis subdere Numinibus, liberum erit huic Universitati Consules sibi eligere, vel quodcunque Genus Magistratus placuerit, erit etiam liberum modum illis administrationis ordinationes,

præscribere, secundum quas sacra peragant, & profana, civilia, & criminalia, Altam, quod vocant & Bassam exerceant jurisdictionem, omnia tamen salvo jure superioritatis Territoriali, & appellatione ad Serenitatem Suam Electoralem salvâ, cujus vi & virtute tenebuntur etiam hujus Universitatis Incolæ ad approbationem & confirmationem exhibere ordinationes & statuta, quibus hanc suam societatem & Cœtum regere & regi voluerint, salvâ etiam Suae Serenitati Electorali facultate constituendi Virum & genere & literis egregium, sub cujus præsidio & directione fiant omnia, quæ hic rerum geruntur.

XV. Et uti liberum omninò erit unicuique quemcunque liberalem artem exercere, docere, idque sine ullo incommodo & exactione, ita quoque nemo eorum, qui arcana quædam naturæ vel artis vel scrutatur, vel invenit, invitus illud propalare cogetur. Si verò liberâ voluntate Unum vel Alterum illius participem facere voluerit, mercedem & pretium pro eo accipere non erit prohibitum.

XVI. Liber erit unicuique nullis omnino Teloniis, nullis impositionibus, & exactionibus obnoxius accessus, discessusque, quandocunque placuerit, itidem Liber & nullo modo impeditus.

XVII. Nomen erit huic Cœtui: Universitas Brandenburgica, Gentium, Scientiarum & Artium, Insigne, effigies Suae Serenitatis Electoralis Throno insidens, dextra gerens Sceptrum, sinistrâ Templum tangens, cui inscriptum Σοφία, Pallas & Minerra à latere Laurum tenentes, super caput Principis, Fundatoris circum circa scriptum. FUNDATORE FRIDERICO WILHELMO ELECT. BRAND. NOBILIS SIC ORBIS IN ORBE.

In

In cujus fidem majorem presentes hæc manu nostrâ scripsimus, easque Sigillo nostro Electorali communiri jussimus. Dabantur in Arce nostrâ, quæ est Colonia ad Spream, XII. Aprilis Anno M. DC. LXVII.

Fridericus Wilhelmus

Electoꝝ.

(L. S.)

§. XXI.

Veruntamen hæc ipsa, quæ de tuenda & amplianda civitatis felicitate hæctenus explanata sunt, adhuc magis elucescunt, si ad imperii & civium salutem, qua utraque communis continetur salus, figillatim referuntur. Si imperium respicis, imperio morigeri, faventes, & accepti formentur per eruditos ab ineunte ætate cives, officii erit. Inest homini corrupto per naturæ ipsius communem labem animus, jugi impatiens, quem flectere doctrina, frangere imperium debet: schola ergo & ipsa templa præter sanctissimam religionem huc symbola conferant, decet. Formæ regiminis doctrinas attemperare, calamitatibus & civitatis temporibus servire docendo scribendoque, civis eruditi erit. Non tamen usque eo progredi licet, ut aut virtutum principia, aut ipsa cum vita religio, commodi politici nimio studio corrumpantur, quemadmodum in suo Leviathan, & de cive libris, jura monarchica adversus parlamentarios Angliæ, & corruptissimum papismo ac fanaticismo clerum, defensusus Hobbesius omnem theologiam evertit, & religionem imperio absolute subjicere connisus est. Hos enim libros ad monarchiam absolutam commendandam ex partium aulæ studio vel maxime profluxisse, docent circumstantiæ, quæ ab autore *vite Thomæ Hobbesii,*

D 3

Angli,

Angli, Malmesburiensis Philosophi, Carolopoli anno
c1515 LXXXII. editæ, p. 16. 17. Et in vita, quam Hobbe-
sius, oratione ligata scriptam, de se reliquit. p. 61. 62. 63. re-
censentur.

§. XXII.

Si cives, qui imperio reguntur, seorsum expendis, &
ad hos eruditionem civilem refers, primum, quod decet,
erit, ut eruditi cum aliis civibus amore, fiducia, mutuoque
auxilio cohæreant, cum publica doctrina tota ad perficiun-
dos ineruditos sit instituta. Absit omnis noxia æmulatio
atque invidia, contemptus omnis, quin potius mutua bene-
volentia auxiliique studia perpetuo efflorescant. Cives
omnes, eruditi ac ineruditi, communi quadam cognatione
junguntur. *Ἐι γοῖρ κοινὴ μᾶτηρ ἡ πόλις, μητρὶς ἕσα καὶ πατρὶς,*
δῆλον ὅτι κατὰ τῆτο ἀδελφοὶ πῶς εἰσὶν οἱ πολῖται, *Simplicius ad*
Epicleti Enchiridion C. XXXVII. p. m. 208. seq. rationem
duxit. Quin imo populo etiam, sive plebi, ac infimorum
vitæ generum civibus, eruditum placere civem & posse &
debere, non negandum videtur; cum æque sint cives, com-
modaque ac cognitionem eorum provehentibus, sine vi-
tiorum contagio ab iis contracto, facile concilientur. *Se-
necæ vox: quis placere potest populo, cui placet virtus? ma-
lis artibus popularis favor queritur: similem te illis facias*
oportet. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non
potest. Ep. XXIX. p. m. 110. sq. aut de captatione auræ popu-
laris adversus imperium explicanda erit, aut cum in uno
fallit, quod omnem populum turpem supponat, tum in al-
tero, quod solis malis artibus populi favor possit obtineri.
Sed sapientis stoici tumida & austera vanitate civitates
jam non moventur.

§. XXIII

§. XXIII.

Ex eadem eruditionis ad cives alios relatione omnium vitæ generum, quæ eruditione introduci, emendari aut perfici, cum emolumento possunt, cultura colligitur, in his enim totam civitatis vim & abundantiam niti, in aprico est. Noscat ergo eruditus vitæ genera, quæ cum sua facultate nexum habent: in harum imperfectionem inquiret, ac, si fieri potest, emendationem tentet: partes eruditionis, pro dignitate nondum cultas, vitæ tamen generibus, civilibus aut naturalibus, utiles, colat, aut introducat. Refero huc imprimis rem scholasticam, quæ academicis eruditis vel maxime provehenda esset, tanquam omnis culturæ fundamentum, & cum qua immediate connectuntur. Ostendit hoc recusa *Lutheri treuherzige Vermahnung an die Bürgemeister und Rathsherren aller Städte in Teutschland, daß sie Christliche Schulen aufrichten und halten sollen, cum appendice Helvici & Jungii Germanica: uti Joh. Amos Comenii Didactica opera omnia*, junctim excusa, mihi præ aliis commendanda videntur.

§. XXIV.

Sane si hunc officiorum generalium ambitum, hactenus descriptum, nobiscum reputamus, plura posse elici, ubi singula civitatis bona conferre cum studiis academicis vellemus, ultro apparet. Ad pecuniam, rerum in civitate gerendarum nervum, si respicimus; neminem facile inutili peregrinatione, aut honorum ac titulorum quacunque coëntione, pecuniam sine gravi causa exportare ex patria debere, patescit. Ad applicationem omnis omnium facultatum eruditionis si animum advertimus, lucri aut ambitionis gratia suam evehere facultatem, suppressis aliis vitæ generibus,

ribus,

ribus, aut imperio ipso profligato & afflicto, eruditorum neminem debere, facillime percipitur. Quibus artibus clerus Pontificius, quibus subtilitatibus permulti Romanorum Jurisconsulti, hoc officium læserint atque conculcaverint, integris libris summi inter nos viri exposuerunt. Sed ab iis partibus, quæ sunt eruditionis civilis in universon, quemadmodum officia ducantur, disputatum satis est. Sequuntur quatuor facultatum officia specialia, de quibus ita dicendum restat, ut de philosophia, tanquam generalissima, incipiam, per medicinam ac jurisprudentiam ad theologiam, quæ uti reliquæ sola ratione, ita revelatione nititur, adscensurus.

§. XXV.

Philosophia civilis, sive in civitatem recepta, est cognitio linguarum, historiarum, rerum, & totius felicitatis humanæ, ex lumine naturæ acquisita, ut facultates reliquæ per eam solidæ, & vitæ genera, naturalia imprimis, perfectæ & ampla evadant. Cognitio est linguarum, historiarum, rerum &c. ergo hæc conjungat philosophus, ne conjuncta natura, & si verum præstare usum debent, conjungenda, vitio suo divellantur. Cognitio est rerum & felicitatis humanæ: ergo res referat ad verum humani generis commodum, nec iis, quæ subtilia sunt, sed vel ideo nullius usus, immergatur. Dantur permultæ veritates, quas utilius est nescivisse, quibus metaphysica imprimis & physica scholasticorum refertæ fuerunt. Mirifice placent ea, quæ hanc in rem de *Peirescio* suo retulit *Petrus Gassendus*, in illius, Senatoris quondam Aquisextiensis, Philosophi & Jurisconsulti illustris, *vita p. m. 237. sq.* *Displicebat profecto illi, quæ physica vulgo docetur in scholis, tanquam nimis umbratica, & ingenio-*

genio-

geniorum potius technis, quam experimentis naturæ innixa. Heinc corrugare solebat frontem, totumque vultum contrahere, cum incidisset in physicos, qui subtilitate potius, quam soliditate certarent &c. Ex his fere elicitur, non placuisse illi dialecticas illas, metaphysicasque argutias, quæ nihil bonæ frugis haberent, & fovendis solum clamorissimis contentionibus essent comparatæ. Tametsi enim delectabatur, dum quid argute concluderetur; simul tamen ægre ferebat, quod foret de re nihili.

XXVI.

Per philosophiam reliquæ omnes facultates solidæ evadere debent, ut in systema colligi, rerum & causarum connexionem ad liquidum deduci, ac perspicue & dextre defendi possint. Omnes argumentationes necessariae & probabiles facultatum, omnes methodi, philosophiæ debentur: imo ipsæ rerum expositiones philosophicæ, si mysteria divina, ex divinis oraculis excerpta, excipis, fundamenta præbent facultatum reliquarum. Ergo philosophus suæ in superiores facultates influxum sedulo expendat, sapientiæ ac prudentiæ præcepta eis adhibeat, corrupta aut confusa, si quæ sunt & a se liquido deprehenduntur, corrigat. Fieri tamen hæc omnia modeste debent, ne sibi & quieti reipublicæ noceat, de quo *programma nostrum anni cIo Ibc XVII. de odio in Philosophos*, præcepit, cum nil habeat imperii. Neque leges reipublicæ, & religionum symbola, importune contrectet, aut evertere laboret, superiora se ac officiis in civitate suis. Scite *Gassendus c.l. p. 238. de Peirescio suo: Æquius tolerabat disceptari mores, dum tamen etiam religionis, patriæque statuta illesâ manerent. Censebat enim quam maximam habendam esse*

E

legum

legum rationem, quæ desiderandæ quidem essent optimæ, at qualescunque tamen essent, venerationem mererentur. Quin imo theologiam & jurisprudentiam in civitate, (hic enim theologiam tantum civiliter consideramus) non sola ratione, sed autoritate simul, niti, ex supra dictis compertum est. Quid quod etiam, ex quo theologia aristotelico-scholasticam philosophiam, variis modis purgatam & inflexam, in systemata & libros suos admisit, philosophi sit, horum terminorum & dogmatum aliquam cognitionem suis conferre, ne ad hæc omnia plane cœcutiant. Uti enim qui eclecticæ philosophiæ lucem semel in animum admisit, nunquam facile ad aristotelico-scholasticam redibit philosophiam: ita bonam terminorum & distinctionum ejus lexicon, quod simul origines sententiarum erueret, theologiæ studio deditis perquam necessarium merito censetur.

§. XXVII.

Refertur demum maxima philosophiæ pars ad vitæ genera, civilia atque naturalia, quibus amplificandis & perficiendis præ omnibus aliis facultatibus conducere plurimum potest, & in civitate debet. Ergo studium linguarum in usum reipublicæ, imprimis aulæ & jurisprudentiæ, cum quibus lingua patria insignem nexum habet, transferendum est. Sic vernaculæ cultura eloquio promptos & exquisitos reddit, qui cives dicendi suavitate impellunt, sive civitatis commoda, sive divina in suggestu effata, explicanda veniant. Quo indignius eloquentia stultorum sæpe, & malevolorum, hæreticorumque temeritas abutitur, summo cum reipublicæ detrimento: eo studiosius & colenda bonis erit, & illis eadem vi resistendum. *Qui ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, sed pro his pug-
gnare*

gnare possit, is mihi vir & suis & publicis rationibus utilissimus, atque amicissimus civis fore videtur. Cicero de Inventione Rhetorica L. I. c. 1. Abducenda ergo nostra imprimis Germanica eloquentia a nimio furo, & puerilibus sæpe lufibus erit, ut viris digna, aptaque negotiis sacris atque politicis evadat. Quantum in vernacula perpolianda emolumentum civitatis lateat, exemplo suo Galli imprimis comprobant, qui per Academiam Gallicam (*Academie Françoise*) hanc ipsam linguam, summopere politam, omnium rerum explicationi feliciter adhibentes effecere, ut per omnem Europam Gallici libri studiosissime legantur, & magna pecuniæ summa, his impensa coëmendis, in Galliam ex aliis regnis atque provinciis migret. Equidem studium vernaculam nostram ad majorem dignitatem & puritatem deducendi societates quædam poeticæ, ut fructifera illa, (*die fruchtbringende Gesellschaft*) suscepere, sed non perfecterunt. Historiam descripsit Magnus Daniel Omeisus in *der Anleitung zur Deutschen Reim- und Dicht-Kunst, Vorbetrachtung IV. p. 39. sqq.* Nec minorem utilitatem fert antiquitatum vernaculæ, & ætatum diversarum, explicatio, qua fere adhuc destituimur, licet ad diplomata & MS. Cta veterum Germanorum eruenda & interpretanda summe necessaria. Nunquam satis celebrari poterit illustris Leibnizii in hoc quoque studium propensio, post quem, ad superiores evocatum, ab exquisita Joh. Georgii Eccardi peritia atque industria optima quævis speramus. Ergo res poeticæ etiam, inscriptionum, inventionumque antiquarum, imo omnium ornamentorum, ad patriæ ac Imperii gloriam & amplificationem applicandæ a bonis civibus erunt. Exemplum illustre præbet Gallica inscriptionum & bonarum litte-

rarum regia societas, quæ jam an. c1010cLXIII. coivit. Finis ejus ex fundatione regia, legibusque societatis, *Art. XX.* qui in *Memoires de litterature de l'Academie Royale des Inscriptions & belles lettres, Parisiis an. c1010cVII. editis T. I. p. 13. sq.* legitur, satis patet, cum illustrandis regis, viro- rumque illustrium rebus gestis, tota imprimis operetur.

§. XXVIII.

Ergo historico studium historiæ patriæ imprimis in- cumbit, ita ut a nostris ad antiquissima demum descendere conveniat, quo juribus summorum principum ac contro- versis, si quæ sunt, succurramus, nec aula eruditus suis de- stituatur. Forsan ab hoc scopo parum abfuit collegium imperiale historicum, cujus *Ludolfus T. I. der Schau-Büh- ne der Welt in Præfatione* mentionem fecit, & cujus ipse membrum fuit: sed uti hoc ipsum sua statim fata subiit, ita civitati cuivis ampliori ejusmodi historicorum collegium haud parum conducere, patet facillime. Geographicæ etiam regnorum descriptiones, cum antiquitatum, & re- rum notatu dignissimarum, succincta delineatione, externos sæpe ad itinera invitant, ita ut per hanc quoque operam hi- storici patriæ prodesse suæ teneantur. De historia littera- ria, patriæ imprimis, plurimi enim eruditorum semper pere- grinantur, patriam nunquam discunt, non est, quod scriba- mus; cum *Christiani Funckeri de Ephemeridibus sive diariis eruditorum schediasma* de hoc satis loquatur.

§. XXIX.

Ergo Philosopho dogmatico, qui sapientiæ & pru- dentiæ præcepta explicat, ea docenda est philosophia, quæ vitæ, & rebus in civitate obviis, conducit. Non jam ani-
mus

mus est inquirendi, Platonica ne an Aristotelica philosophia reipublicæ Christianæ magis conducat, de quo toties jam veteres disputarunt, uti rariora quædam de hac controversia, quæ seculo XV. contigerunt, in *Memoires de litterature, tires de registres de l'Academie Royale des inscriptions & belles lettres. T. II. p. m. 775. sqq.* recensentur. Eam esse optimam omnium philosophiam, quæ per sapientiam proximas rerum causas harmonice nec difficulter aperit, usum omnium ostendit, per prudentiam voluntatem & intellectum sine omnibus ambagibus ad fines suos essentielles proxime deducit, ubique harmoniam cum revelatione divina manifestans, iis, qui autoritati non plus quam rationi tribuunt, jam erit compertum. Sufficit physicam & mathesin imprimis ad vitæ genera perficienda deducendam esse, quod nescio an omnes, quæ hæctenus ad has colendas formatæ societates sunt, aut intenderint, aut sint consequutæ. Leopoldina, sive Academia naturæ curiosorum, quæ ab anno clō Iōc LXX. floret, v. *Junckerum de ephemerid. p. 33. sqq.* Gallica regia, quæ jam an. clō Iōc LXVI. rite collecta fuit, v. *du Hamelii Regiæ scientiarum Academiæ historia L. I. c. I. II.* Anglica Regia, anno clō Iōc LXIII. colligata, v. *New state of England an. clō Iōcc V. P. III. p. 583. sqq. & P. I. p. 181.* Berolinensis, quæ nuperrime nata, per *Miscellanea Berolinensia* primum specimen dedit anno clō Iōcc X. de his conatibus testantur. Unicum adhuc adscribam iudicium *Hobbessii* de societate Anglicana, in *vita ejus, supra citata p. 23.* De hujus instituto honorifice sensit *Hobbessius*, ita ut veram philosophiam relictis Academiis Londinum transmigrasse affirmaret; illud tamen improbare visus est, quod de generali motus doctrina minus solliciti,

proletariis experimentorum minutiis se addicerent nimis, &c.

§. XXX.

Medicina civilis est cognitio rerum medicarum, in facultatem separatam formata, ut eo securius sanitas civium custodiatur, & morbis succurratur. In facultatem separatam formata est, cum responsa edat, & consilia suppeditet. Est quidem & philosophia facultas, sed vix responsa ab ea aut rogantur, aut expectantur, licet varia sint, quæ ei proxime conveniant, ut rerum metallicarum, botanicarum, chymicarum, (nam chymix pars tantum medicinalis est) & magicarum consultationes. Ergo medici omnes invicem consilia conferant, ut unius facultatis uniformitatem ostendant, v. *Domatus c. l. p. m. 130.* Medica facultas ad securitatem curæ & custodiæ sanitatis coordinata est: ergo adhibeant veram physicam, omnis medicæ artis fundamentum certitudinis, ut dogmatici & rationales, non empyrici, inveniantur; ergo dogmata conferant, ad uniformitatem eliciendam: ergo morborum phænomena & historiam accurate delineent, prout hunc communem fere defectum tollere aut minuere non sine laude laborarunt nonnulli *ex Academia Leopoldiua naturæ curiosorum Uratislaviensium medici, in Historia Morborum quæ primum Uratislaviæ & Lipsiæ an. cl. lcccvi.* edita est: ergo jungant praxin clinicam cum chirurgia, & hanc cum illa, ne una sine altera securitate excidat. Referuntur hæc omnia ad civitatis salutem: ergo regionum & vivendi generum morbos inquirent, ut eruditorum, metallicolarum &c. ergo non deserant tempore morborum graviorum ingruentium rempublicam.

§. XXXI.

§. XXXI.

Jurisprudentia civilis est cognitio legum & modi applicandi, in facultatem descriptam, ut secura & prompta sit justitiæ administratio. Ergo omnes theoriam & praxin combinare laborent: ergo tollant ambiguitates litium: ergo moneant principem de impedimentis justitiæ: ergo monendo leges propria autoritate non evertant. Jurisconsultum optime Cicero de oratore L. I. n. 212. descripsit: *qui legum & consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum, peritus esset.* Cumque officia judicis & causarum patroni ab ipsa civitate legibus sint expressa, his deducendis velle insudare supervacaneum foret. Veri & justii Jurisconsulti domus totius oraculum civitatis erit.

§. XXXII.

Theologia, in civitatem recepta, est cognitio omnium rerum religionis, in facultatem secreta, ut symbolis & ordini præscripto conformiter publica doctrina quiete & solide populo administratur. Est cognitio omnium rerum religionis: ergo theologus ad majorem quolibet Christiano cognitionem tendat: ergo sobrie utatur philosophia, ne religio degeneret in philosophiam. In facultatem secreta est: ergo se non immisceat aliis vitæ generibus. Symbolis & præscripto ordini conformiter docet: ergo post scripturam symbola inculcare debet: ergo minister ecclesiæ semet subjiciat præscriptis legibus: ergo principem & magistratum publice monendo haud prosti-
tuet. Publica doctrina quiete & solide tradenda est: ergo omni apparatu soliditatis utatur: ergo caveat ab
omni

omni superficialia doctrina: ergo dissentientes sine mordacitate moneat & redarguat. Concludo elogio, quod *Joh. Fechtio*, Rostochienſium Theologo quondam celeberrimo, *Christianus Grundmannus* in ossibus & cineribus Anno *c1713cc XV.* defunctorum p. 36. dicit: *Nomen suum non sine omine gessit, gladio verbi divini contra hostes orthodoxiæ infensissimos fortiter depugnando, ita tamen, ut nec ignominiosis illos verbis, nec amarulentis exacerbaret diceretis, non ignorans, veræ etiam religionis zelum ἐν ποσότητι esse positum. Licet itaque pro veritate & dixerit, & scripserit graviter, concordiam tamen & pacem omni tempore ardentè quæsit, de componendis, quæ ecclesiam hodie nostram misere turbant, diffidiis maxime sollicitus.*

T A N T U M !



Biogr. erud. C. 244.

